

cum honore sepeliretur, quod erat maxime licitum.

Quaeres 8. Quo praecise tempore lex vetus evaserit mortifera?

Resp. Evasit mortifera quadragesimo circiter post Christi mortem anno, cum eversum fuit a Tito et Vespasiano Imperatoribus Romanis, Templum Hierosolymitanum, quia tunc non erat amplius necessarium deferre honorem Synagogae penitus sepultae.

Quaeres 9. Quid sit lex nova?

Resp. Describi potest, *Lex per se justificativa, a Christo condita, ab Apostolis die Pentecostes promulgata, et ad finem mundi duratura.*

Quaeres 10. Utrum lex Evangelica sit vera lex?

Resp. affirm. Nam continet praecepta ad bonum Ecclesiae ordinata, de quibus Christus, *Joann. 14. ait: Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me.* Unde Christus, *Isaiae 33. dicitur, Dominus legifer noster.*

Objicies 1. Rom. 6. dicitur: Non estis sub lege, sed sub gratia. Et 1. ad Tim. 1. Lex justo non est posita, sed injustis; ergo &c.

Resp. Nego conseq. Primus enim textus intelligitur de lege Mosaica: quae erat nuda lex, praeceptiens, sed non juvans interius ad praestandum quod jubebat.... Secundus textus intelligitur de lege poenas intentante, quae non est posita justo, qui sponte facit bonum quod lex imperat.

Quaeres 11. Quotuplicis generis sint praecepta novae legis?

Resp. Triplicis: scilicet, 1 *moralia*, quae licet non sint a Christo instituta, ab eo tamen sunt confirmata, explicata, et ab erroribus, quibus ex malitia hominum obvoluta fuerant, vindicata. 2. *Praecepta fidei*, quae sunt a Christo clarius explicata, ita ut explicite teneamus credere, quae in lege veteri solum implicite credebantur. 3. *Praecepta sacramentalia*, quae sunt à

Christo de novo instituta, ut sint loco veterum, quae sunt ab eo abrogata.

CAPUT V.

De Lege humana in genere.

Quaeres 1. Quid sit lex humana?

Resp. Est, *rationis ordinatio stabilis, ad bonum publicum condita, et promulgata ab homine qui curam communitatis politicae aut Ecclesiasticae habet, cum intentione obligandi subditos.*

Quaeres 2. Quinam possint ferre leges?

Resp. Possunt omnes qui habent curam communitatis perfectae, id est, quae sibi sufficit ad assequendum finem, ad quem instituta est.

Hinc 1. omnes principes supremi, et regiones quae sunt sui juris, possunt condere leges civiles pro suis subditis.

Hinc 2. Possunt condere leges ecclesiasticas S. Ponitifex et Concil. Ecumenicum, pro tota Ecclesia; Concilia nationalia, pro tota natione; Provincialia, pro Provincia; Episcopi, pro sua Dioecesi; Legati summi Pontificis pro territorio suae legationis, &c.

Quaeres 3. Quaenam sit materia legum humanarum?

Resp. Materia legum civilium, est bonum communitatis temporale; propria vero legis canonicae materia, est bonum communitatis spirituale.

Quaeres 4. Utrum lex civilis possit praecipere actus internos?

Resp. 1. Potest indirecte praecipere actus internos, qui per se conjucti sunt cum actibus externis; sic potest praecipere juramenti praestationem, bonorum ventionem; atqui neutrum potest subsistere absque interno voluntatis consensu, ergo, &c. 2. Non potest praecipere actus mere internos, quia non sunt necessarii ad

finem ad quem instituti sunt, nempe ad conservandam pacem et tranquilitatem reipublicae.

Quaeres 5. *Utrum lex Ecclesiastica possit praecipere actus internos?*

Resp. Potest praecipere 1. actus internos, qui *per se* conjuncti sunt cum externis, unde Innoc. XI. hanc damnavit prop. *Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam dominici corporis mandationem.* 2. Potest praecipere actus internos, qui *per accidens* conjuncti sunt cum externis, sic praecipit ut fideles Deum exorent ad pacem inter christianos principes obtinendam; atqui haec intentio est actus internus, ergo, &c. 3. Probabiliter potest praecipere actus mere internos, quia maxime conducunt ad salutem aeternam, quae est finis proprius legis ecclesiasticae. Hinc conc. Trid. Sess. 6. exponens doctrinam de justificatione, *distributius inhibet, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, praedicare, aut docere, &c.*

Objicies. Nec potestas ecclesiastica, nec civilis judicant de actibus internis; ergo nec possunt eos praecipere.

Resp. *Dist. conseq.* Non possunt quoad vim coactivam, *conc. quoad vim directivam, nego conseq.* Ut ergo lex possit aliquid praecipere sufficit ut homines ad id quod justum est possit dirigere, obligando eos sub culpa a Deo punienda. Deinde Ecclesia non judicat de actibus exterioribus occulitis, et tamen eos praecipit.

Quaeres 6. *Utrum modus legis cedat sub pracepto? seu quomodo debet impleri opus praecemptum ut satisfaciat legi?*

Resp. Debet impleri, 1. *Voluntarie*, quia praecipitur actus humanus. 2. *Cum intentione*, saltem interpretativa *adimplendae legis*, quia actus hominis ultra intentionem ejus non operantur. 3. *Ex fine honesto*, si sit lex ecclesiastica, quia non praecipit nisi actus ad aeternam salutem conducentes; ergo debent fieri propter finem honestum.

Quaeres 7. *Utrum finis legis extrinsecus, seu a Legislatore intentus, cedat sub pracepto?*

Resp. Cadit, si praecipiatur a Legislatore, non cadit, si non praecipiatur.

Quaeres 8. *Utrum leges humanae, etiam pontificiae, non ante obligent, quam in singulis provinciis promulgatae fuerint?*

Resp. Non ante obligant; id enim pro legibus civilibus declaratur authenticā, ut factae novae constitutions: et pro ecclesiasticis constat ex Ecclesiae praxi, quae semper suarum legum promulgationem summa sollicitudine fieri curavit. Unde etiam Romae valida habentur matrimonia clandestina in iis locis contracta, ubi Concil. Trident. nondum est promulgatum.

Quaeres 9. *Utrum requiratur consensus, seu acceptatio populi, ut lex humana obliget?*

Resp. negat. Nam lex humana a Legislatore absoluto absolute lata ad sui acceptationem obligat, juxta illud Apost. Rom. 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Unde haec prop. *Populus non peccat, etiam si absque illa causa non recipiat legem a principe promulgatam*, damnata est ab Alex. VII. et Clero Gallie. an. 1700.

Quaeres 10. *Quinam legibus humanis teneantur?*

Resp. 1. Certum est, quod omnes et soli subditi rationis usum habentes, subdantur legibus humanis: quia potestas legislativa subjectionem in aliis essentialiter connotat.... Hinc Legislator non tenetur suis, vel praedecessorum suorum legibus, neque quoad vim directivam, neque quoad vim coactivam sed tenetur tantum vi legis naturalis dictantis ut superior suis subditis praeseat exemplo: unde illa utriusque juris axiomata: *Justum est principem legibus obtemperare suis, cap. iustum, dist. 9. Digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se principem proficeri, lege 4. Cod. de legibus.*

Objicies. Vis directiva non necessario requirit super-

rioritatem in eum quem obligat; ergo Legislator tene-
tur legibus suis quoad vim directivam.

Resp. Nego ant. Nam lex non dirigeret nisi per mo-
dum regulae consulentis, non obligantis.

Quaeres 11. *Utrum Clerici, peregrini, advenae, et
vagi teneantur legibus?*

Resp. 1. Clerici, salva eorum immunitate, tenentur
legibus civilibus; quia sunt partes communitatis politi-
cae, de quibus, sicut de aliis dixit Apostolus, Rom. 18.
Omnis anima potestatis sublimioribus subdita sit.

Resp. 2. Peregrini et advenae non tenentur quidem
patris legibus, nisi absint in fraudem, quia Legislatoris
jurisdictio ita est affixa proprio territorio, ut extra
illud non extendatur; sed ipsi, sicut et vagi, tenentur
legibus locorum, in quibus versantur, vel per quae
transeunt: ibi enim lex ligat, ubi persona forum sortitur.

Quaeres 12. *Utrum leges humanae obligent in con-
scientia?*

*Resp. Obligant, et quidem 1. Canonicae, Matth. 18.
Quod si Ecclesiam non audierit, sib tibi sicut Ethnicus
et Publicanus, id est, publicus peccator, 2. Civiles, jux-
ta illud, Rom. 13. Itaque qui potestati resistit, Dei ordi-
nationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnatio-
nem acquirunt.*

Objicies. Potestas civilis est mere temporalis; ergo
non obligat in foro conscientiae.

Resp. Dist. ant. Est mere temporalis ratione subje-
cti, nempe versatur tantum circa res fluxae ac labentis
naturae, conc. ratione debiti quod imponit, nego ant.
Est enim potestas quae a Dei potestate emanat, juxta
illud Apostoli: *Non est potestas nisi a Deo.*

Quaeres 13. *Quot requirantur, ut lex humana obliget
sub mortali?*

Resp. Duo. 1. Ut materia sit gravis, alias lex esset
injusta. 2. Ut intentio Legislatoris sit graviter obligan-
di, quia legis humanae obligatio tota pendet a libera-

Legislatoris voluntate. Dignoscitur autem Legislator.
rem velle obligare sub mortali, 1. Ex gravitate verbo-
rum quibus utitur, ut cum dicitur: *Sub indignatione
Dei. In virtute sanctae obedientiae, &c.* 2. Ex gravita-
te poenae quae transgressoribus imponitur, qualis est
poena excommunicationis, mortis, confiscationis bono-
rum, &c.

Quaeres 14. *Utrum lex humana obliget cum gravi
periculo, etiam mortis?*

Resp. Non obligat ordinarie, quia nemo tenetur ad
id quod est moraliter impossibile; obligat tamen ali-
quando, nempe, 1. Cum id exigit reipublicae conservatio.
2. Cum violatio legis cederet in contemptum fidei, vel
legitimae auctoritatis, quia talis contemptus est intrin-
sece malus. 3. Cum lex violari non potest sine scan-
dalo.

Quaeres 15. *An peccet contra legem, qui non tollit
aut qui ponit impedimentum executioni legis?*

Resp. Peccat, quia qui praecipit finem, praecipit
etiam media necessaria ad assecutionem illius finis:
nisi tamen illud impedimentum sit vel necessarium, vel
tam utile, ut melius sit illud non tolli, quam legem ser-
vari, qualis est necessitas opitulandi infirmo tempore
Missae: certum est enim legem humanam non adeo
stricte obligare, ut ad eam implendam tolli debeant im-
pedimenta necessaria, aut maxime utilia.

Quaeres 16. *An qui non potest totum opus praecep-
tum implere, teneatur ad partem quam potest?*

Resp. Tenetur, si praeceptum sit de re divisibili: unde
Innocent. XI. damnavit hanc prop. *Qui non potest
recitare matutinum et laudes, potest autem reliquias ho-
ras, ad nihil tenetur: quia major pars trahit ad se mi-
norem.*

Quaeres 17. *Utrum eodem tempore duobus praeceptis
satisfieri possit per plures actus?*

Resp. Potest, modo unius actus non impedit alium,

*

nec aliter mentem suam expresserit Législator. Ratio est, quia facit id quod lege praecipitur. Sic qui tempore Missae recitat Horas canonicas, satisfacit utrique praecepto; sed non satisfacit qui tempore Missae confitetur peccata, quia confessio impedit attentionem quae auditioni Missae debetur: nam Ecclesia praecipit assistere Missae per modum orationis; sed qui confitetur, non assistit per modum orantis, ergo, &c.

Quaeres 18. *An per unum eundemque actum possint impleri plura praecelta?*

Resp. Possunt, quoties superior prudenter existimatur id concedere, quia obligatio legis non excedit voluntatem Legislatoris; sic qui tenet ad Horas canonicas ratione ordinis et beneficii, unica recitatione utrique obligationi satisfacit.

Quaeres 19. *Quaenam sit differentia inter obligacionem legis affirmativa et negativa?*

Resp. In hoc differunt, quod lex affirmativa obligat semper, sed non pro semper; econtra lex negativa obligat semper, et pro semper; sic nullo tempore licitum est furari, quia praeceptum *non furaberis*, est negativum.

CAPUT VI.

De variis speciebus legum humanarum.

Quaeres 1. *Quotuplex est lex humana?*

Resp. *Duplex*, nempe scripta, et non scripta, seu consuetudinaria. Et utraque, vel est mere praceptiva aut prohibitiva, vel poenalis, vel favorabilis, vel irritans. De mere praceptiva vel prohibitiva hucusque disseruimus: restat agendum 1. de lege scripta, et consuetudinaria; 2. de lege poenali; 3. de lege favorabili; 4. de lege irritante.

§. I. De lege scripta et consuetudinaria.

Quaeres 1. *Quotuplex est lex scripta?*

Resp. *Duplices*, *civilis*, quae jus civile, et *Ecclesiastica*, quae jus *Canonicum* appellatur.

Quaeres 2. *Quid est jus civile?*

Resp. Est corpus juris quod constat quinque partibus, *nimirum institutionibus*, digesto, codice, *novellis seu authenticis*, et libro *feudorum*.

Quaeres 3. *Quid est jus canonicum?*

Resp. Definitur: *Jus quod civium (christianorum sci. licet), actiones ad finem aeternae beatitudinis dirigit* Constat sex partibus, nempe decreto, decretalibus, sexto decretalium, clementinis, extravagantibus Joan. XXII. et extravagantibus communibus.

Quaeres 4. *Quid est consuetudo?*

Resp. Definitur a D. Isidoro: *Jus quoddam, moribus institutum, quod pro lege suscipitur cum deficit lex.*

Dicitur 1. *Moribus institutum*; id est frequentatione actuum ejusdem rationis, a majori et saniori parte communatis executorum, cum animo se obligandi.

Dicitur 2. *Cum deficit lex*: id est, cum circa aliquid lex non est lata, vel cum est inutilis, vel cum est dubia aut obscura.

Quaeres 5. *Quotuplex est consuetudo?*

Resp. *Triplex*, *nimirum*, alia est *secundum legem*, quae interpretatur legem, aut quae est legis existentis executio. Alia est *praeter legem*, quae nec lege praecipitur, nec legi adversatur. Alia *contra legem*, quae legi adversatur: talis est consuetudo, quae viget in quibusdam Dioecesisibus, vescendi carnis singulis sabbatis a Nativitate Domini usque ad festum Purificationis inclusive.

Quaeres 6. *Quot sint effectus consuetudinis?*

Resp. Tres, nempe: 1. legem dubiam interpretare:

2. legem novam inducere: 3. veterem abrogare.

Quaeres 7. Quot requirantur conditiones, ut consuetudo vim legis habeat, aut legem abroget?

Resp. Requiritur. 1. Ut sit honesta, et bono communni utilis; alias esset corruptela. 2. Ut adsit consensus Legislatoris, solum tacitus, id est, ut non contradicatur, cum facile contradicere posset. 3. Ut sit legitime praescripta, id est, continuata toto tempore ad praescribendum requisito, quod est spatium 10 annorum pro leibus civilibus, et 40. annorum pro leibus Ecclesiasticis: ratio est, quia leges sunt jura; atque ad praescribenda jura civilia requiruntur 10 anni; et ad praescribenda jura Ecclesiastica requiruntur 40 anni; ergo &c.

§. II. De lege favorabili, seu de privilegiis.

Quaeres 1. Quid sit privilegium?

Resp. Definitur ab Innocent. III. Lex privata, aliquid speciale concedens. 1. Est lex respectu communatis, quae tenet non impedit usum privilegii. 2. Est privata, quia, licet ejus motivum formale sit bonum commune, tamen objectum ejus materiale respicit bonum aliquius, vel aliquorum particularium. 3. Aliquid speciale indulget, praeter, vel contra jus commune.

Quaeres 2. Quomodo divitur privilegium?

Resp. Divit 1. In reale, quod immediate conceditur alicui rei; v. gr. loco, dignitati, &c. hoc transit ad successores; et personale, quod immediate conceditur personae ratione sui: hoc extinguitur cum persona.

Divit 2. In favorable, quod privilegiato confert commodum nullique affert incommodum; unde est latae interpretationis; et odiosum, quod uni confert commodum, et alteri praejudicium; talis est exemptio a tributis, quae alios onerat: unde est strictae interpretationis, quia odia sunt restringenda. Porro privilegium datum motu proprio, semper censemur favorable.

Quaeres 3. Utrum quis privilegio contra legem concessu uti possit extra territorium concedentis?

Resp. Non potest, si privilegium sit locale, quia annexum est territorio concedentis; potest vero, si sit personale, quia afficit personam, eamque sequitur quocumque eat.

Quaeres 4. Quot modis privilegium amittatur?

Resp. Amittitur 1. lapsu temporis, si sit temporale. 2. Per liberam renuntiationem, privilegiati. 3. Per non usum spatio ad praescriptionem sufficiente, si alios gravet, quia est tacita illius renuntiatio. 4. Per usum privilegio formaliter contrarium; si gravet alios, est enim praesumpta renuntiatio. 5. Per abusum, post sententiam Judicis declaratoriam. 6. Per revocationem concedentis, vel ejus successoris, privilegiato significatam.

§. III. De lege poenali.

Quaeres 1. Quid sit lex poenalis?

Resp. Est ea, quae poenam transgressoribus expresse constituit. Alia est pure poenalis, quae praecipit tantum disjunctive, vel ut fiat aliud, vel ut certa poena subeat: unde unicum continet praecipuum disjunctivum. Et alia poenalis mixta, quae praecipit aliquid faciendum vel omissendum, et simul poenam transgressoribus imponit. Unde duo praecelta continet, alterum absolutum faciendi vel omissandi quod praecipitur aut prohibetur; alterum subeundae poenae, si non fiat, aut omissatur quod praecipitur, aut prohibetur.

Quaeres 2. Utrum dentur leges pure poenales?

Resp. Possunt dari: nam lex vim habet ex voluntate Legislatoris; ergo si Legislator nolit obligare subditos, nisi ad poenam, subditi inobedientes non incurrit nisi reatum poenae.

Objicies. Ex D. August. Omnis poena, si justa est, peccati poena est; ergo nulla poena potest juste imponi absque culpa.

Resp. Dist. ant. Omnis poena proprie dicta, conc. improprie dicta, nego ant. Poena proprie dicta, est malum propter culpam inflictum: poena improprie dicta, est malum alia de causa impositum, puta ut illius metu impellamur ad faciendum aliquid, vel ut fiamus in posterum cautiores ad vitandos communes defectus; talis est poena, quae per leges pure poenales imponitur, quae supponit poenam juridicam, sed non theologicam.

Quaeres 3. Utrum leges poenales mixtæ obligent in conscientia ad actum praeceptum?

Resp. affirm. Nam lex praeceptiva, seu quae continet praeceptum absolutum absque impositione poenae, obligat in conscientia; ergo et lex praeceptiva cum impositione poenae transgressoribus: nam impositio poenae non tollit obligationem ad culpam, sed potius indicat et confirmat illam.

Quaeres 4. Utrum leges poenales obligent ad subeundam poenam, ante sententiam Judicis declaratoriam?

Resp. Poenae, quae executioni mandari possunt absque actione rei, ut censuræ, vel cum actione rei non valde difficulti, suum sortiuntur effectum ante sententiam Judicis declaratoriam, quia leges, illas poenas ipso facto imponentes, sunt moraliter possibles. Econtra, si non possint executioni mandari sine actione rei valde difficulti, non sortiuntur suum effectum ante sententiam declaratoriam Judicis: quia sunt moraliter impossibles.

§ IV. De lege irritante.

Quaeres 1. Quid sit lex irritans?

Resp. Est ea quae actum aliquem, cui desunt aliquae conditiones, nullum et invalidum facit.

Quaeres 2. Quotuplex sit irritatio?

Resp. Duplex, nempe, *poenalis*, quae fit in poenam peccati; et *legalis*, quae irritat actum ob bonum com-

mune; talis est irritatio matrimoniorum clandestinorum, quae t. propter periculum fraudis, &c.

Quaeres 3. An ignorantia invincibilis legis irritantis impediat irritationem?

Resp. Impedit irritationem poenalem, quia poena proprie dicta necessario supponit culpam; sed non impedit irritationem legalem, quia non supponit culpam, sed fundatur in praesumptione periculi fraudis, et aliorum incommodorum; atqui in actu, contra legem irritantem legalem celebrato, semper existit periculum fraudis, &c. ergo &c.

CAPUT VII.

De cessatione legum humarum.

Quaeres 1. Quot modis cessare potest lex humana?

Resp. Duobus, nempe 1. ab *intrinseco*, quando scilicet, propter mutationem materiae aut circumstantiarum, fit inutilis bono communi. Item quando cessat respectu totius communitatis, causa adaequata propter quam lex fuit lata, quia Legislator non censetur amplius velle obligare. 2. Cessat ab *extrinseco*, per interpretationem, dispensationem, derogationem, abrogationem, et irritationem.

Quaeres 2. Quotuplex est interpretatio legis?

Resp. Duplex, nempe, *simplex*, et per *epikejam*?

Interpretatio simplex, est terminorum legis, quae obscuritatem patiuntur, simplex expositio. *Triplex* est: *authentica*, quae fit ab ipso Legislatore; *usualis*, quae petitur ex consuetudine; et *doctrinalis*, quae fit per explicationem Doctorum.

Interpretatio per epikejam, est benigna et rationabilis declaratio, qua decernitur casum aliquem particularem, ob suas circumstantias, non comprehendi lege, quamvis lata per verba generalia.

Quaeres 3. Quandonam licitum est uti epikeja?

- Resp. 1.* Quando observatio legis sit peccaminosa.
2. Quando cedit in damnum reipublicae. *3.* Quando adversatur legi superiori.

Quaeres 4. Quid sit dispensatio?

Resp. Est relaxatio legis, legitima auctoritate ad tempus facta, in aliquo casu, in quo aliqui lex obligaret.

Quaeres 5. Utrum dispensatio concessa sine causa sit licita?

Resp. Esse illicitam, quia non est in aedificationem, sed in destructionem; pacem enim turbat, transgressibus viam aperit, Superiorum auctoritatem despiciui exponit, estque vitium acceptiois personarum.

Quaeres 6. An valida sit dispensatio concessa sine causa.

Resp. Est valida, si concedatur ab ipso Legislatore, quia si lex ab eo pendet in fieri, ita etiam in conservari: est autem invalida, si concedatur a delegato, quia superior non censetur suam delegasse auctoritatem peccando: sed non potest concedere potestatem dispensandi sine causa, quin peccet; ergo, &c.

Objicies. Dispensatio a voto sine causa est invalida; ergo a pari; &c.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quod obligatio voti sit juris divini; unde a voto non dispensat homo, nisi ut delegatus a Deo, qui non vult votum remitti absque justa causa; at obligatio legis humanae tota pendet a libera voluntate Legislatoris, qui potest eam, etiam sine causa, relaxare.

Quaeres 7. An dispensatio subreptitia, quae obtinetur per subtilitatem veri, vel obuptitia, quae obtinetur per narrationem falsi, sit valida?

Resp. Est prorsus invalida, quia superior in hoc casu non intendit dispensare, vel saltem censetur solum dispensare sub hac conditione: *Si res ita est, aut, si preces veritate nitantur.*

Quaeres 8. Quid sint irritatio, abrogatio, et derogatio legis?

Resp. 1. Irritatio, Est legis nondum perfecte obligantis abolitio, facta ab eo cuius est illam habere ratam: sic Papa quando non approbat Concilia, ea irritat.

Abrogatio, est legis totius perfecte obligantis abolition, vel per revocationem, vel per contrariam consuetudinem, vel per legem posteriorem universalem priori legi item universaliter repugnantem.

Derogatio, est legis adhuc vigentis secundum aliquam sui partem imminutio; v. gr. cum tollitur dies festus manente obligatione Missae.

TRACTATUS X.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE PRAECEPTIS.

*Quaeres Q*uo sint paecepta Ecclesiae?

Resp. Sunt sex, 1. est de auditio Missae diebus dominicis et festivis. 2. De annua Confessione. 3. De Communione Paschali. 4. De celebratione Festorum. 5. De jejunio quatuor Temporum, Vigiliarum, et Quadragesimae. 6. De abstinentia a carnis feria sexta et sabbato observanda. De paeceptis annuae Confessionis et Communionis Paschalis opportunius agemus in Dissertatione de Eucharistia et Poenitentia; unde hic restat de aliis quatuor agendum.

§ I. De paecepto auditio Missae.

Quaeres 1. An extet paeceptum Ecclesiasticum audiendae Missae diebus dominicis et festivis?

Resp. Extare constat, tum ex praxi Ecclesiae, tum ex Conc. Agathensi, can. 47. *Missas die dominico a saecularibus, audiri speciali ordine praecipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis populus egredi non praesumat; qui si fecerint, ab Episcopo publice confundantur.* Gravis autem poena, gravem supponit culpam, a qua excusare potest levitas materiae.... Porro Missa ab eodem Sacerdote celebrata debet audiiri, ut definivit Innoc. XI. et Clerus Gallicanus in damnatione hujus prop. *Satisfacit pracepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus, audiuntur.*

Quaeres 2. *Quaenam dispositiones requirantur ad Missam debite audiendam?*

Resp. 1. *Ex parte corporis,* requiritur modesta conformatio in vultu et habitu.

Resp. 2. *Ex parte animae,* requiritur 1. *Moralis et humana praesentia,* ita ut saltem aliquo sensu, percipi possit quod Missa celebretur. 2. *Intentio implendi praecetti,* saltem interpretativa, quae nempe continetur in voluntate Missam audiendi, quae non excludat intentionem implendi praecemptum Ecclesiae. 3. *Pia ad Deum, divinaque mysteria attentio et affectio,* quia in spiritu et veritate oportet Deum adorare.... Porro sufficit ut illa affectio profluat ex motivo cuiuslibet virtutis christiana, nec requiritur ex charitate perfecta, sive habituali, sive actuali, alias soli justi ad audiendam Missam admittendi essent, et excludendi peccatores, quod falsum est, et damnatum in Quesnello, prop. 89.

Quaeres 3. *Quaenam sint causae, excusantes ab auditio-*

ne Missae? *Resp.* Generatim sunt duas, scilicet, impotentia physica et moralis: quia nemo legem humanam, sive physice, sive moraliter impossibilem, observare tenetur.

Quaeres 4. *Utrum qui Missam audire nequit, teneatur per aliud pium opus, vel per preces illam supplice?*

Resp. 1. Tenetur diebus Dominicis, quia aliquem hebdomadae diem cultui divino consecrare, praecptum est juris naturalis et divini, quod non potest immutare audiendi sacri impedimentum.

Resp. 2. Probabilius etiam tenetur diebus festivis; tum quia districte ab Ecclesia praecipitur, ut dies festus, quantum moraliter fieri potest, sanctificetur; ergo si per indictam Missae auditionem nequeat sanctificari, per aliud pium opus sanctificari debet. Tum quia haec est praxis fidelium timoratorum, et confessariorum qui hanc proximam tanquam obligatoriam inculcant penitentibus.

§. II. De pracepto sanctificationis festorum.

Quaeres 1. *Quid intelligitur per sanctificationem festi?*

Resp. Intelligitur religiosa cuiusdam diei determinatae ad Deum colendum observatio. Obligat sub mortali, ut constat tum ex omnium fidelium sensu, tum ex damnatione hujus prop. ab Innoc. XI: *Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

Quaeres 2. *Quaenam sint opera diebus festis exercenda?*

Resp. Praeter Missam, debent exerceri opera religionis et charitatis, quod sic exponit Coneil. Aquense, ann. 1585. *Doceantur populi.... praesertim ut praeter Missam, quae sine gravissimi peccati poena praetermitti non potest: praeter vesperas item, quibus fidelem quemque, nisi impeditum, interesse maxime convenit, in doctrinae christiana rudimentis omnes, tam viri quam foeminae, versentur.*

Hinc qui vesperis non interest, juxta D. Anton. committit peccatum veniale, nisi suppleat per alia pietatis opera, quia haec assistentia, licet saepius ab Ecclesia commendata tanquam medium cultui divino proportionatum, nullibi tamen videtur districte pracepta.

Quaeres 3. *Utrum opera servilia sint prohibita diebus Dominicis et Festis?*

Resp. affirm. Ut tradit D. Aug. Epist. 36. dicens: *Vacatio a servilibus operibus imperatur, unde illud est, quod lapidare Deus hominem jussit qui ligna collegerat.* Accedit communis praxis Ecclesiae, et doctorum consensus. Porro hoc praeceptum obligat sub mortali ex genere suo, et ideo a mortali excusat materiae parvitas: imo excusat a toto peccato, si opera non sint ita servilia, quin convenient nobilibus perinde ac servis: ut sunt piscatio, venatio, &c. Modo istis operibus ita serviatur, ut nihil eorum praetermitatur, quae sunt ad piam Festorum celebrationem necessaria.

Quaeres 4. *Quaenam opera, non servilia, diebus Dominicis et Festis, prohibeantur a jure?*

Resp. Prohibentur, 1. Placitum, id est, omnis actus judicialis qui fit cum strepitu. 2. Juramentum, extra-judiciale, puta in instrumento contractus, ait glossa. 3. Mercatus, id est, nundinae, et omnes actus mercandi, qui fiunt maxime cum instrumento publico. Ratio prohibitionis est, quia illa omnia retrahunt a cultu divino.

Porro, in opere diebus Festis prohibito materiae gravitas dijudicanda est judicio prudentis viri, cum ex duobus hominibus eidem labore per tempus unius horae vacantibus, unus magis quam alter divertatur a cultu divino, et aliis pietatis operibus.

Quaeres 5. *Quaenam causae excusant ab obligatione omitendi opera diebus Festis prohibita?*

Resp. Sunt quinque, nempe 1. Consuetudo legitime introducta, sic permittuntur emptiones et venditiones rerum parvi momenti clausa officina.... 2. Pietas erga Deum, sic licet altaria instruere, templa ornare, &c. 3. Charitas erga proximum. Sic licet medicamenta parare infirmis tunc egentibus.... 4 Utilitas publica, sic licet in ortu, aut adventu principis theatra perficere, &c.... 5. Necessitas, propria, vel aliena, spi-

ritualis vel corporalis, quae praeveniri non potuit, dum scilicet sine gravi damno opus aliquod omitti, aut differri nequit, nam sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum, ait Christus Marci 2.

Quaeres 6. *Utrum per quodvis peccatum mortale, graviter violetur praeceptum de sanctificatione Festorum, ita ut circumstantia Festi addat novam speciem malitiae mortalis contra religionem, in confessione exprimendam?*

Resp. Contra recentiores affirmat tota venerabilis antiquitas, DD. August, Thomas, Bonaventura, Antoninus, cuius haec sunt verba: Peccatum mortale commissum die Festo, est multo gravius, quam alia die. Nam ultra propriam deformitatem, habet specialem deformitatem ex illa circumstantia temporis sacri, qua festum violatur; unde talis, ut dicit Nicolaus de Lyra, non solum agit contra unum praeceptum, scilicet, non moechaberis: aut illud: non furtum facies: sed etiam contra illud de sanctificatione Sabbati. Est ergo doctrina a confessariis fideliter tenenda et vivide practicanda.

¶ III. De praeceptis jejunii et abstinentiae.

Quaeres 5. *Quid sit jejunium ecclesiasticum?*

Resp. 1. Est, abstinentia a quibusdam cibis, cum unica in die refectione, hora competenti sumenda.

Dicitur 1. *A quibusdam cibis:* nempe, 1. *A carnis animalium,* quae a piscibus vere distinguuntur, et ab eis quae ad pisces reducuntur, ut sunt rancae, gallinae aquatice, lutrae, &c. 2. *Ab aliis cibis ecclesiistarum particularium consuetudine prohibitis,* ut sunt ova, et lacticinia.

Dicitur 2. *Cum unica refectione in die:* quae debet esse ita continua, ut non sit moraliter interrupta; alias non una, sed multiplex esset refectione. Tamen huic refectioni, ex consuetudine nunc temporis ubique

recepta, additur vespertina collatiuncula, in qua si solum cibis uti licitum est; qui ipsa consuetudine sunt approbati, *cujusmodi*, in his regionibus sunt, *uiae, mices, poma, et alia ex saccharo condita, imo et aliquid butyri, vel casei, ubi ita consuetudo obtinuit*, ait Sylvius.

Dicitur 3. Hora competenti sumenda, nempe circa meridiem, ut fert usus ab Ecclesia receptus: tamen propter justam causam, potest circa meridiem sumi collatiuncula, et coena differri ad vesperam, quia illa inversio est tantum variatio circumstantiae jejuno non substantialis; ergo ex justa causa potest fieri.

Quaeres 2. Utrum sumptio potus extra tempus refectionis, nocet jejuniu?

Resp. Sumptio potus de se nutritive nocet jejuniu: sumptio vero potus, qui non ad nutrionem, sed ad alterationem corporis sedandam, et digestionem ciborum assumptorum, sumitur, non nocet jejuniu: ita D. Thom. 2. 2. q. 2. 147. artic. 6. ad 2.

Quaeres 3. Quot sint causae a jejuniu excusantes?

Resp. Sunt duae, impotentia, scilicet, et labor.

Ratione impotentiae, excusantur. 1. *Adolescentes*, qui 21. aetatis annum nondum expleverunt, quia sunt in statu augmenti. 2. *Senes*, non ratione senectutis, sed ratione magnae debilitatis. 3. *Infirmi et convalescentes*, quos infirmitas extenuavit. 4. *Praegnantes et nutrices*, quia egeni cibo pro se, et pro foetu, vel prole. 5. *Pauperes*, cum simul habere nequeunt quod eis sufficit ad unam refectionem.

Ratione laboris, excusantur illi soli qui opus, vel iter pedibus conficiunt, quo adeo defatigantur, ut simul cum jejuniu laborare, vel itinerari non possint, et quod pro tunc sit ita necessarium, *ut absque detimento corporalis salutis, aut exterioris status, vel spiritualis vitae, non possit differri*, ait D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 4. ad 3.

Non excusantur vero omnes, quorum labor non est

gravis, quales sunt pictores, barbitonores, sartores, notarii, scribæ, &c. Item qui equo vel curru iter agunt, nisi forte, ob extraordinarium cursum ac defatigationem, non possint sine gravi incommodo jejunare. Hinc Alex. VII. sequentes damnavit propositiones.

Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborent, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificari, an labor sit compatibilis cum jejunio.

Excusantur absolute a praeepto jejunii omnes illi qui iter agunt equilando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unus diei confiant.

TRACTATUS XI.

DE VARIORUM STATUUM OBLIGATIONIBUS.

Nota. Plurium statuum obligationes sat-
tis per se patent: qui voluerit eas legere,
consulat nostram Theologiam in hoc
Tract. hic ergo agemus tantum de obli-
gationibus Clericorum, beneficiorum,
religiosorum, et personarum judicialium,
ideo sit:

CAPUT I.

De obligationibus beneficiorum.

*H*ic agendum est 1. de Horis Canonis. 2. De
beneficiis: inde enim maxime pendunt obligationes be-
neficiorum.